MISCELLANEA.

1/ Maniecki Franciszek, Emeriti honores B. Joanni Francisco Regis, Zamość 1720, Typis Universitatis, -K nlb.21.-E_{XXII} Str.114.-

2/ /Koryciński Franciszek, Fasces mortis, Kraków 1696, in officina Francisci Cezary.-K nlb.6.-E_{XX} Str.110.-

3/ /Koryciński Franciszek, Starża JWPP. Korycińskich, Kraków 1696, ~~in officina~~w druk. Franciszka Cezarego.-K nlb.8.-E_{XX} Str.110.-

4/ /Potocki Józef/, Corona unionibus animorum, Lwów 1736, Coll. Soc. Jesu.-K nlb.16.-

5/ /Potocki Józef/, Pilawa..., Lwów 1736, w druk. Coll. Soc. Jesu. K nlb.11.-

6/ Kobielski Franciszek Antoni, Rosa avitum Poraitarum decus, Lwów 1740, Typis Confraternitatis SSS. Trinitatis.-K nlb.24.-E_{XIX} St.349.-

7/ Skarbek Krzysztof, Pignus obaerati amoris, /B.m.dr./1726.-E_{XXVIII} Str.129.-K nlb.11.-

PIGNUS

OBÆRATI AMORIS

Jn tesseram obligatæ gratitudinis, ad plantas

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI ac *REVERENDISSIMI DOMINI*

D. JOANNIS

in Osala & Michalcze

SKARBEK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

ARCHIEPISCOPI

METROPOLITANI LEOPOLIENSIS,

ABBATIS PLOCENSIS,

PATRUI ET MECÆNATIS GRATIOSISSIMI,

Jnter festivos Divi Indigetis applausus

DEPOSITUM.

Ab obligatissimo

ex fratre Nepote

CHRISTOPHORO SKARBEK,

Canonico Kijoviensi,

Anno quo

Amor Divinus factus est Pignus amoris humani, 1726. Die 4. Mensis Junij.

Littera fecundi gratum mihi Pignus *Amoris.*
Matth: 1.10.



Littera Præſuleis iſthæc cur fulget in armis?
Jgnaras mentes augur Apollo doce.
Pontificem *Magnum* (reſpondet is) exprimit Aſtris,
Tantum Sarmatiæ denotat atq; *Virum.*
Quodq; *Vaticano* SKARBEK ſit dignus honore,
Hoc legit è Veſtræ Stemmate quiſq; Domûs.

PANEGYRICUS.

NOn Oratorum calamis, ſed alati amoris pennâ, gratulatorium Tuo Nomini ſcribimus Panegyricum. *Illuſtriſſime ARCHIPRÆSUL.* Affectui Paterno, Patrui in nos gratioſiſſimi, affectum filialem te-

nemur reddere. Qui nos amore & gratiis alloqueris, amore & gratiis reſpondemus. Novimus enim benè, nullâ Rhetorum ſuperlatione, poſſe attingi Honoris, & Virtutis Tuæ eminentiam. Exceſſiſti latiſſimâ meritorum in Patriam, & Eccleſiam amplitudine, quaſvis licet fuſiſſimas Arpinaticæ dictionis laudes. Et quæ etenim Tullianæ mentis lumina, Illuſtriſſimas Tuas dotes ſatis comprehēdent? quarum lucem, ſi ipſi haberent ſoles, clariùs Orbi lucerent. Qui fontes oratorii, immenſum Gloriæ Tuæ attingent oceanum? qui nullis novit terminis circumſcribi. Quocirca non adhibemus ſublimem de Te dicendi ſtylum, quia hic ſemper infra Te eſt, nec

Respublica Polona, ex *Tuis* consiliis & oraculis, quæ illi suggeris, veriora Delphico Apolline. Doctissimum suum *ARCHIPRÆSULEM* veneratur Clerus, sub *Tuo* magisterio feliciter proficiens in sacra doctrina. Quoties ex sacro suggestu, divinus perorasti Orator, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus dicere videbatur. Ad fulmina *Tuæ* eloquentiæ, Pericleis fortiora, semper indissolubilem cum DEO concipiebant unionem, in conchis pectorum auditores. *Tu* Plinius, Hortensius, Plato, Demostenes, Hercules Gallicanus in una Lechia, omnium catenatâ veluti svadâ, in *Tui* auditum vinciens animos. Quisq; videt nec invidet, quòd in *SKARBKOVIANO* Capite

sapientia

ſapientia ſuos depoſuit theſauros, *Tuumq́;* Caput effecit aurum optimum, ditans ingenia aliorum. Unde quidquid gemmarum, Pactoli, Clenodiorum, & omnis pretii, literaria habent gazophylacia, *Tu* collecta tenes. Perinde eſt quòd Tu *Jlluſtriſſime Domine* ſingulorũ voto, ſanctitatis Idea, ſcientiarum lumen, Religionis columen, hiſtoriarum volumen, Muſarum domicilium, Sapientiæ oraculum, univerſarum dotum decus & compẽdium adoraris. Et ex eo vel maximè tua æſtimatur ſapientia, quòd ipſe doctus *ANTISTES*, ad aras non admittis victimas pecudum, litandas DEO in obſequium. Nullus à *Te* factus ſacrorum Myſta, niſi ſanctus & ſapiens. Dicis enim

ſem-

ſemper, quòd non cōveniat, muta altaribus admovere idola, aut pulchrioribus ſpoliis ornatos, ſine capite truncos. Superſtitioſa tantùm Antiquitas, penes Deorum delubra, redimitos coronis ſtatuebat juvencos, at verò ſacerdotale miniſterium, coronatos boves, lōgè ab Aris removeat neceſſe. In ſtabulo tantùm Infans DEUS, famulantem ſibi aſinum habuit, ſed non ad altare. Alta hæc myſteria nemini concedenda, niſi cum Joanne totum deglutiat volumen, quod in Te *JOANNE* expreſſum cernimus.

Accipit majus pretium Tua eruditio, & à pietate conjuncta ſibi, ut altè ſapiens, ita pariter ſublimi ſanctitate eminens. Rara Virtutis

Literæ Il. lm̄i Archi-Præſulis ſunt unitæ pietati.

C conne-

connexio cum eruditione, & prodigium est ejusmodi Personarum amicitia. Multorum igitur eloquētia ro sis verecundatur, sed cor pudoris expers; labia erudito fluunt melle, mens verò molesto amarescit absynthio. In Te uno *Illustrissime PATRUE* Virtus exorta simul cum Literis, tanquam Gemini Cælestes; quinimo ita intimè identificantur ambæ, ut nullam admittant inter se distinctionem. Contra Vitiorum pugnaturus hostilitatem, hastatæ Palladis suppetias probitate acuis. In eruditis Tuis salibus, habet suum gustum pietas, Litera Tua legendas proponit Virtutes lectissimas, quod vel ipsum Stemma edocet; Sciētiam auget conscientia, principe

addita-

additamento. Sat dixiſſe, quòd in eodem Tuo animo, Muſas ac Iunonem, Apollinem, Mercuriumq; ac Jovem Diviniorem complecteris.

Theologico ſtudio ad ſtuporem omnium Gentiū navavit operam Romæ & Pariſiis.

Proſequitur hic vehemētiori ſtyli fervore, ardentiſſima Tua, in Romanis & Pariſienſibus Academiis, deprædicanda Orator ſtudia. Veram egiſti Polonam Aquilam *JOANNES*, ad Solem Theologicū Romæ expoſitus, aliæ ſcholaſticæ noctuæ, in hoc ſidus figere palpebram non potuerant, innatâ ad illud laborantes caligine, *Tu* rectâ perſpicaciſſimæ rationis acie, ſpectabas ad invidiam cæterorum. In Capite Orbis, ad mundi totius ſcientiam, caput aptum exhibens, magnas de *Te* cogitationes & ſen-

 ſus

ſus excitâſti. Mirabatur prodigioſam Tuam, in comprehenſione Theologiæ Viatorū, facilitatem ſelicitatemq;, coæva Auditorum Palæſtra, & Profeſſorem *Te* potiùs ſuū fore optabat, agnoſcebatq; jam ut talē, quàm Com-Palæſtritam. Stupebant univerſi ingenium ſublime Aquilæ *JOANNIS*, ſuis velocius annis, mentemq; *T*uam tali ore extollebant: *SKARBKOVIANO* è Capite Pallas progenita, perſpicax eſt & lucida in abſtruſis obſcuriſq;, ſubtilis in ſublimibus, penetrativa in profundis, Divina & velox in univerſis. Nullus fuerat eruditarum difficultatum nodus, quem non reſolveres felicior Macedo. Concluſiones Theologicas de DEO Divinè, de Virtutibus pro-

bè,

bè, de Spiritualibus Geniis angelicè, de vitiis evitandis ſanctè defendiſti. Et optimè providerunt Superi, Romanam Univerſitatem Tibi, Theologorum Sapientiſſimo, ut citiùs ad arcana ſcientiarũ Tibi pateret aditus, præſtò adeſſe debuerant Claves Petri, ex annulo Piſcatoris, hæc gemma petenda erat. Ad triumphum Tui ingenii, neceſſe fuit ex Vaticana Petra, ignes elicere triumphales. In hoc ſapientiæ ærario, Nomine ſolum diminutivo SKARBEK, ſed re ipsâ, integer eruditionis Theſaurus audiebas. Et revera nec unꝰ fuerat, in gazophylacio Thomiſticæ ſummæ unio, quo non ornares frontem, ditares intellectum. Nullus erat in ejuſmodi

D ſacra

ſacra doctrina Tractatus, quem ita dextrè non abſolveres, ut ingeniorum bella, eruditorum jurgia ceſſarent. Dum Hypoſtaticam mente trutinabas unionem, pretium, & æſtimationem Urbis & Orbis merebaris. Dum unam Perſonarum Triadem diſtinguebas, omni abſolutiſſimus numero audiebas. Si Gratiæ exponebas efficaciam, gratias ipſas loqui utpote *JOANNES* putabaris. Quælibet Tua diſtinctio, diſtincta encomia, diverſas panegyres merebatur, quælibet docta ſatis & reſoluta ſolutio, ligabat ad aſſensum ſenſus & animos Auditorum, quilibet articulus habuit fidem apud omnes, quælibet quæſtio, bonâ ad elogium Tui Nominis reſponde-

bat

bat echone à Vaticana Petra, quælibet concluſio inferebat *Te* eſſe Theologum perfectũ conſummatum. Tale eruditionis ſertum doctiſſimo Tuo Vertici & Lutetiana ex ſe contextum Lilia poſuerunt. Et ſpectat in præſenti, præteritos *T*uos in acie literaria reportatos triumphos, curioſa univerſorum pupilla, dum videt in Sapientiſſimo *T*uo Capite, Lauream Doctoralem.

Nec ſolum in ſcientiis palmam tenes, etiam jura laurum *T*ibi porrigunt; juris ſcilicet utriuſque DOCTORI. Hic titulus, ex hoc fonte effunditur in *T*ui laudes; quòd leges tam Divinas quàm humanas, utraſque glorioſè doceas. Verè es DOCTOR Archi-Diœceſanæ

Eximius juris utriuſque Doctor.

Tuæ Ecclesiæ, ubi enim alij difficilia in ambiguis resolvere nequeunt argumenta, *Tu* facilè solvis ac enodas. Brevi elogio concludo Tuæ dotem sapientiæ, quòd *Tu* scilicet sapientum Erudítissime *SKARBEK*, omni humanarum Divinarumq; scientiarum Thesauro, es ditissimus.

In DEUM & Sponsam suam, Ecclesiam munificetissimus.

O! felix, Te *ARCHIPRÆSULE*, Leopoliensis Metropolitana Cathedra, ærarium enim omnis boni, Gazophylacium omnigenæ felicitatis, & fortunarum Thesaurus, omnibus divitiis pretiosior es illi *SKARBEK*. Quòd pulchriùs niteāt in illa, Divorum Aræ, Tuæ lux Gratiæ id efficit. Floret Divinus cultus in hac Vinea Domini, sæpiùs copioso imbre Tuarū

Grati-

Gratiarum irrigata. Eſt ſuus decor Altaribus; à Tui ornamento favoris. Dignior in illa Clerus colitur, ex Te Suo æſtimatore & appretiatore id habet. Maximum ex Te *SKARBEK*, habet Eccleſia Theſaurum, quot Virtutibus eam exornas, tot gemmis, unionibus, adamantibus. Nullo tamen pretioſo lapide, de condigno Virtus Tua appretiari poteſt, cùm Univerſi Orbis pretia excedat. Præter hæc probitatis clenodia, etiam propriæ fortunæ *Tuæ* ærariis diteſcunt templa. Auri in Divorum Aras profuſi radio, ſerenitatem illis accendis. Teſtantur id in Archi-Diœceſi Tua, plurimæ Cælitum, in illis terris Baſilicæ, Tuâ manu à ruinis erectæ, Tuis

 opibus

opibus à paupertate ſublatæ, *Tuis* nummorum rotis altiùs evectæ. Ipſi de pariete lapides clamant, hanc Tuam in Divorum ædes liberalitatem. Non ita facilè ſub architecto Neptuni Tridente, aut ſub fundatrice Amphionis Chely, ſuccreverunt Thebæ, ſicut ſub *Tua* dextera aſſurrexerunt Superum auguſtalia. Et hinc *Tua* apparet in Divos pietas; vel ex albentis cæmenti colore, conſtat *Tuus* in Cælos candor. Quòd etiam cõglutinatam habeas animam Numini, hoc bitumen parietum templorum demonſtrat. Domeſticum apud *TE* Numen eſſe, quis non aſſeret? Cui tot auguſta domicilia, ad perennem manſionem providiſti.

Non.

Singulari vigilantiâ & zelo Pastorali fovet gregem Domini.

Non invidet Orthodoxus, ad præſens Orbis Lechicus Antiquitati, ſuum cum centum oculis Argum, cùm *Te* oculatiorem ad providendas indigentias, ad agendas vigilias & excubias, circa gregem Domini habeat, ne inimicum aliquod fatum, in illum irrumpat. Excutis aut potiùs expungis ſoporem, bicornis Inſulæ geminâ cuſpide, *Vigilantiſſime* PASTOR, inconnivâ ſemper proſpiciens palpebrâ oviū Tuarū indemnitati. Rapaces lupi timent invadere ovile CHRISTI, quia Te perſpicaciſſimum Lyncē advertunt, & verentur Leoburgicum. Subtrahis ſæpè negotiis tempora, ut Tuorum ſaluti dones, dees plerumquè Tibi, ut non deſis populo.

 Hau-

In omnes præsertim verò pauperes liberalissimus.

Hauriunt ex Tuarum Gratiarum Jordane, utpote JOANNIS omnes beneficia, tanquam ex Nilo Ægyptii suam fortunam. Immerguntur alveis sui Gratiani, sed ad salutem. Qui miseri ad te veniunt, felices redeunt. Ad nihil erubescis magis *Purpurate* PRÆSUL, quàm ad pauperum nuditatem, hanc ut tegas et protegas, *T*e Ipsū exuis. O! amabile odium, dum intueri indigentiam non potes, nisi ditiorem reddas. *S*ic invisa paupertas aliena, quando subintrat oculos *T*uos, paupertas esse desinit. Unde addensatæ mendicantiū cohortes, ceu apum examina, *T*uam Aulam involant, circa *T*e mussitant, quæ dulces, profusæ liberalitatis *T*uæ favos, nunquam exsugere cessant

sant

ſant. Aſylum es miſerabilibus, Promontorium è naufragio tabulam quærentibus. Solem hoc in paſſu æmularis, cunctis radios Tuæ munificentiæ ſpargens, oriris ſæpè Tuis gratiis, etiam non exoratus. Tres ſolùm gratias finxit antiquitas, Tu unicus *JOANNES*, Gratias in *TE* Ipſo mille multiplicas, idq; numero aureo. Quis plura beneficentiæ Tuæ munera vult recenſere, viſitet noſocomia, hoſpitalia pauperum Archi-Diœceſis Tuæ, & inibi diſcet, Te eſſe JOANNEM, purè Gratiam gratis datam indigentibus.

Experior meâ felicitate vim & efficaciam Tuæ Gratiæ, *Illuſtriſſime* PATRUE, ſed deſunt mihi (ut ve- *Superabundat eximiâ liberalitate Illmi Archi Præſulis Author operis.*

ritatē ſatear) tot methodi reddenæ gratitudinis, quot Tibi adſunt modi dandi munera. In educatione literaria, non hauſi tantam eruditionis copiam, qua ſufficerem eloqui condignè, illa munificentiæ Tuæ documenta, quæ mihi exhibuiſti, aureo imbre irrorans Palladem. Inexhauſta igitur Tua liberalitas, totum in laudes ſui, exhaurit Tullii Archi-Pelagus. Re & effectu ipſo id comprobas, quòd ſis Nomine Theſaurus, publicæ felicitatis & meæ SKARBEK munificentiſſimus. Etiā ad metam Philoſophici curſûs mihi properanti, non affigit Tua liberalitas *non plus ultra*, ſed in infinitum ſe extendit. Patet id vel ex hoc capite, quòd meum Tyrocinium in Capitulo, &

Colle-